

A reribus uel gestis sunt tradita, quæ similia uideantur uero secuti, initium sumemus à Barbaris: non quòd eos Græcis antiquiores putem, quemadmodum Ephorus dixit: sed ut cum Barbara absoluerimus, Græca narrantes, nihil externum eorum rebus inferamus. Quoniam apud Aegyptios deorum genus primum fuisse fabulantur, astrorumque ab his ueteres obseruationes repertas, plurima quoque ac præclara excellentium uirorum gesta seruntur digna memoratu, ab rebus eorum historia ordietur.

## QUÆ DE DIIS FABVLOSE

*Aegyptij ferunt, & quæ in Aegypto ab eis urbes sunt conditæ. Cap. II.*

TRadunt Aegyptij, ab orbis initio primos homines apud se creatos, cum bonitate felicitateque soli, tum propter Nilum, qui & multa generat, & suaapte natura quæ genuit, facillime nutrit. Nam & arundinum radices præterea & loton, & Aegyptiam fabam, & quem dicunt orseum, multaque præterea ad uictum hominum exposita. Prima animantia apud se esse orta, ea utuntur coniectura, quòd nunc etiam in Thebaïdis agro certis temporibus multi ac magni generentur mures. qua ex re plurimum stupent homines, cum uideant quorundam anteriorem usque ad pectus & priores pedes murium partem animatam moueri, posteriori nondum inchoata, sed informi. Ex hoc perspicuum fieri aiunt, ab ipso orbis ortu primos homines Aegyptum protulisse: in nulla enim orbis parte accidit, eo modo animalia creari. Nam siue diluuium Deucalionis tempore plura animantia absumpsit, Aegyptum aiunt, utpote ad meridiem positam, cum in ea pluuia rarae sint, expertem eius calamitatis fuisse: siue (ut quidam sentiunt) lingula interierunt, æquum est, si terra rursus animalia genuit, apud Aegyptum principium generis omnium animantium exitisse. Temperiem quippe aeris æquum est præbuisse generationi principium, & causam generandi. Etenim & nunc quoque post Nili undationem conspicitur diuersorum animantium foetus. Abscedente enim aqua, limoque terræ à sole arefacto, ferunt quædam animalia perfecta, semiperfecta alia uideri in terræ gleba. Igitur primi illi homines olim in Aegypto geniti, hunc mundi ornatu conspicientes, admirantesque uniuersorum naturam, duos esse deos, & eos æternos, arbitrati sunt, Solem uidelicet, & Lunam: & hunc quidem Osiridem, hanc Isisem certa nominis ratione appellarunt. Et Osiridem quidem Græca interpretatione, ut qui suis radijs ueluti pluribus oculis terram ac mare lustraret, multos oculos habentem dixere. Cui rei poetæ quoque uerba congruunt, Solem omnia conspicientem dicentis, atque audientem. Græcorum uero quidam, qui antiquiores scripserunt fabulas, Dionysium Siritium cognomine appellant: quorum Eumolpus in carminibus Bacchiæis inquit, Dionysium astrum insigne incensum radijs, Orpheus uero eum splendens, ac Dionysium uocat. Aiunt etiam quidam, cognomen illi à pelle, propter astrorum uarietatem inditum. Isisem uero interpretatam esse antiquam, sumpto nomine ab æterno & ueteri eius ortu. Addunt sibi cornua, tum propter aspectum (ita enim uidetur quo tempore primis diebus apparet) tum quia bos ei ab Aegyptijs sacrificatur. Hos deos arbitrati, asserunt illos uniuersum circumire orbem, ac nutrire augereque omnia, tribus anni temporibus motu continuo perficientes orbem, uere, æstate, achyeme. Hæc inuicem contraria annuum conficiunt firma concordia. Quorum deorum natura plurimum conferat ad omnium animantium generationem: cum alter igneus ac spiritalis existat, altera humida atque frigida, aer utriusque communis. Ab eis itaque generari atque nutrirî corpora omnia, rerumque naturam singularem à sole & luna perfici. Partes quas commemorauimus, quinque esse: spiritum uidelicet, ignem, siccum, humidum, aera;